Quelle: http://manuscripta.at/?ID=1547
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

hominum factus. et abiit inventus ut homo. Cum hoc quando fecerit per partum virginis noverimus. Quomodo igitur antequam fecisset hoc. ut vir unus apparuit abrahe? an illa forma vera non erat? Possem ista querere. si unus vir apparuisset abrahe. idemque filius crederetur. Cum vero tres viri sint visi. nec quisquam in eis vel forma vel etate. vel potestate maior ceteris dictus est. Cur non hic accipiamus visibiliter insinuatam per creaturam visibilem trinitati equalitatem. atque in tribus personis. unam eandemque substantiam? Nam ne quisquam putaret sic intimatum unum in tribus fuisse maiorem. et eum dominum dei filium intellegendum. duos autem illos angelos eius quia cum tres viri sint. uni domino illi loquitur abraham. sancta scriptura futuris talibus cogitationibus. atque opinionibus contradicendo. non pretermisit occurrere quando paulo post dicit duos angelos venisse ad loth. in quibus et ille vir iustus quide sodomorum incendio meruit liberari. ad unum dominum loquitur. Sic enim sequitur scriptura dicens. Abiit autem dominus postquam cessavit loqui ad abraham. et abraham reversus est ad locum suum. Venerunt autem duo angeli vespere in sodomis.

De duobus angelis qui humana forma apparuere loth. et in quibus dominus singulariter appellatur.

Hic attentius considerandum est quod ostendere institui. Cum tribus certe loquebatur abraham. et eum dominum singulariter appellavit. Forte inquit aliquis unum ex tribus agnoscebat dominum. alios autem duos angelos eius. Quid sibi ergo vult. quod consequenter dicit scriptura. Abiit autem dominus postquam cessavit loquens ad abraham. et abraham reversus est ad locum suum. Venerunt autem duo angeli in sodomis vespere. An forte ille unus abscesserat quem dominus cognoscebat